

symboli jam meminisse. Is enim in Or. de laudibus S. ATHANASII n. 33. hæc habet : *Primus ille* (Athanasius) *et solus, aut cum admodum paucis, veritatem palam apertisque verbis promulgare non dubitavit, unam trium personarum divinitatem et essentiam scripto confessus : et quod nullis illis Patribus circa Filium prius concessum fuerat, idem ipse postea in asserenda Spiritus sancti divinitate superno afflatu consecutus : atque Imperatori (Joviano) donum vere regium et magnificum offert.* Hæc vero verba contendunt intelligi non posse de symbolo Nicæno, sed de alio expressius damnante hæresin, postea *Macedonianam* dictam, et apertius contestante Spiritus sancti divinitatem : neque etiam intelligi posse de epistola, cui fides Nicæna fuit inserta ; tum quia NAZIANZENSIS non loquitur de epistola sed confessione : tum quia epistola illa brevis, et inclusi symboli Nicæni bajula forte dicenda, non videtur *donum vere regium et magnificum.* Quanquam vero Theodoretus et Nicephorus testentur Joviano transmissam fuisse ab ATHANASIO fidem Nicænam, ejus tamen nomine venire potest Athanasianum symbolum, utpote fides Nicæna duntaxat amplius declarata, et quidem id exigente Imperatoris voluntate ob exorientem tum *Macedonii* hæresin.

Ad 3^{um}. R. Nec hoc argumentum ex silentio desumptum valide quidpiam probare ; quia alias nec epistolæ ad EPICETUM Corinth. Ep. et ad Jovianum ab ATHANASIO scripta, nec alia ejus opera essent genuina, ex quibus, licet illæ hæreses impugnari poterant, tamen a Patribus illis non fuerunt impugnate. Ratio itaque silentii apud Græcos esse poterat, quod symbolum hoc illis adhuc incognitum vel saltem sub ATHANASII nomine necdum cognitum esset, id quod de scripto privato mirum videri non debet, cum S. AUG. ep. 110. (al. 213. n. 13.) ipse de se fateatur, Canonem, quo Patres Nicæni prohibuerant, ne prædecessore vivente alius jam Episcopus successor initiaretur, palam et in OEcumenico Concilio latum ignorasse. Licet vero id forsantem tempore Photiani schismatis non amplius tenuerit ; ATHANASII tamen symbolum necdum universali auctoritate ab Ecclesia donatum fuerat, cujus facti epocha, utut incerta, tardior tamen statuenda videtur.

ARTICULUS II.

AN ARTICULI FIDEI CATHOLICÆ SINT EVIDENTER CREDIBILES ?

88. *Nota I.* Credibilitas est motivum extrinsecum, ut aliquid firmissime credatur tanquam a Deo revelatum : fundatur in motivis, quæ primario et immediate tendant ad persuadendam existentiam revelationis divinæ, secundario autem et mediate ad persuadendum illud esse verum : spectari autem credibilitas ista potest vel *absolute* ac sine comparatione, an sit major vel minor respectu oppositi ; vel *comparative* ac *relative* ad aliud. Utraque consideratio hic a nobis adhibetur. Porro sectæ Religioni Catholice oppositæ reducuntur ad tres classes : 1^a. Est *Paganismus*, et est illorum qui nec Vetus nec Novum Testamentum admittunt, cujusmodi sunt Athei, Polythei, Mahumetani : 2^a. *Judaismus*, et est eorum, qui, Veteri Lege admissa, respuunt Novam, aut Messiam adhuc expectant : 3^a. *Hæresis*, et est illorum, qui utrumque Testamentum quidem credunt, sed non eo modo, quo Ecclesia vera, quæ est executrix Testamenti ac fidei regula,

89. *Nota II.* Motiva credibilitatis pro Ecclesia et fide Catholica ad tria capita referri possunt. *Primum* est triplex doctrinæ, quam Ecclesia proficitur, conditio, veritas nempe, sanctitas et efficacia. *Veritas* quidem in plurimis rationi maxime consentaneis elucet per sese ; in supernaturalibus autem tum ex convenientia ad Deum et ejus excellentiam, tum ex testibus aliisque modis probantibus assensum etiam præstandum iis, quæ captum excedunt : *sanctitas* perspicitur tum ex ipsis legibus et præceptis religionis, tum ex hominibus ejusdem cultoribus accuratis : *efficacia* denique intelligitur ex admirando modo, quo primum introducta, dein per totum mundum propagata, ac tandem inter tot difficultates semper servata fuit. *Secundum* est testium auctoritas, consensus ac multitudo : præter Christum enim fidei Auctorem testimonium ferunt Patriarchæ et Prophetæ, quorum figuræ ac prædictiones in Christo atque ejus Ecclesia expletæ sunt, Apostoli, Doctores, Martyres ac Confessores omnes, qui tum prædicatione et scriptis tum opere ac perpassionibus veritatem fidei confirmarunt. *Tertium* sunt miracula fere innumera, quæ in fidei confirmationem seculis omnibus patrata sunt : quo etiam pertinet potestas a Christo Ecclesie tradita in dæmones, fatentibus ipsis se vel invitos a corporibus expelli.

90. *Nota III.* Evidentia est quasi videntia seu visio objecti, quod intellectui proponitur, ac si illud præ oculis haberet : unde ultra certitudinem importat specialem claritatem, ex cujus defectu actus fidei licet metaphysice certus tamen non est evidens. Communiter dividitur in objectivam seu fundamentalem et formalem. *Objectiva* est apparentia objecti tam clara, ut intellectum attendentem et proposita sibi penetrantem convincat seu necessitet ad assensum independentem ab imperio voluntatis, eaque vel est *immediata*, quando clara apparentia ipsius objecti in se habetur, vel *mediata*, quando est talis apparentia in alio ; quo sensu argumenta et rationes, ex quibus aliqua res clare deducitur, dicuntur evidentia fundamentalis et objectiva. *Formalis* est ipse actus intellectus, quo iste ita clare apparens objectum percipit. Utraque subdividitur in *metaphysicam*, *physicam* et *moralem*. In harum explicatione variant Auctores, dum alii communius illas explicant per impotentiam metaphysicam, physicam et moralem, ne illi apparentiæ subsit falsum ; alii per impotentiam dissentienti metaphysicam, physicam et moralem ; alii tandem eas distinguunt ex motivo metaphysice, physice vel moraliter connexo cum veritate.

Porro de *evidentia morali* majus etiam est dissidium. Communior sententia videtur supponere quod de ratione *evidentiæ propriæ* generatim sit, intellectum ita convincere, ut ratione claritatis excludat omnem formidinem etiam imprudentem de opposito, dummodo expendantur et penetrentur termini vel motiva. Atque hoc videtur desiderare ipsius vocis etymon ; unde sicut posita applicatione oculi non possum suspendere visionem objecti visibilis, sic posita applicatione intellectus ad objectum evidenter apparens, non possum suspendere assensum, et consequenter nec formidare. Accedit præter alias rationes etiam differentia, quæ est inter probabilitatem, certitudinem et evidentiam ; cum enim, sola probabilitate posita, possim prudenter formidare de opposito, et hinc requiratur imperium voluntatis, ut inclinetur intellectus potius ad hoc, quam ad illud : posita autem sola certitudine, intellectus

adhuc possit formidare imprudenter: sequitur et hanc formidinem excludi debere ab evidentia, utpote cui aliquid ultra certitudinem tribuendum est.

91. *Dico I.* Articuli fidei Catholice sunt evidenter credibiles assensu firmissimo tanquam a Deo revelati, evidentia propria et simpliciter tali, seu excludente omnem formidinem etiam imprudentem.

Prob. I. EX AUCTORITATE. Nam 1°. SCRIPTURA Ps. 92. 5. dicit: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Ps. 97. 2. et 3. *Notum fecit Dominus salutare suum... Viderunt omnes termini terræ salutare Dei.* Sap. 6. 17. *Clara est sapientia, et quæ nunquam marcescit, ac facile videtur ab his, qui querunt eam.* 1. Joan. 1. 2. *Vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem et apparuit nobis.*

2°. PATRES, inter quos S. CHRYSOST. Orat. Quod Christus sit Deus, de signis credibilitatis inquit: *Nullus his contradixerit, nisi qui valde insanus et totus stupidus sit.* S. AUG. de iisdem L. 12. cont. Faust. c. 43. *Quid ad hæc, ait, respondetis, insani? nempe ista manifesta sunt; nempe omnes, non dico calumniæ contradictionis, sed etiam nebulas dubitationis expellunt.* Idem vero cæterique fere omnes dicunt, Ecclesiam Matth. 5. fuisse significatam per civitatem supra montem positam, quæ nequit abscondi.

3°. D. THOMAS 2. 2. q. 1. a. 4. ad 2. inquit: *Non enim crederet (quis), nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid huiusmodi.* Et q. 5. a. 2. dicit quod *intellectus convincitur ad hoc quod iudicet esse credendum.... licet non vincatur per evidentiam rei, id est, veritatis credendæ.*

Jam vero hæc ipsa vel expresse enuntiant evidentiam proprie talem, vel satis indicant claritatem talem, quæ excludat omnem formidinem etiam imprudentem; eo quod *nimia credibilitas* dicat aliquid plus, quam certitudinem moralem requisitam ad actum fidei, et verba *videri, notum aut manifestum esse, apparere*, sint ea ipsa, quibus scriptura exprimit evidentiam existentiae Dei, quæ sane est propria ac simpliciter talis. His positis sic arguitur: vel illa evidens credibilitas a Scriptura et Patribus asserta pertinet ad omnes et singulos fidei Catholice articulos, vel immediate tantum afficit doctrinam, quam Ecclesia Catholica proponit credendam: si *primum*; explicite dicuntur et sunt articuli fidei Catholice evidenter credibiles: si *secundum*; implicite saltem dicuntur et sunt tales, quia doctrina Ecclesie Catholice formaliter includit illos articulos.

Prob. II. EX RATIONE. Prudens credibilitas articulorum fidei assensu firmissimo propter divinam revelationem deducitur ex præmissis evidentibus propria evidentia talibus; ergo eadem evidentia est credibilis. *Ant. prob.* in hoc syllog.: Quoties est moraliter certum, Deum aliquid revelasse, prudenter id credibile est assensu firmissimo tanquam a Deo revelatum: sed ex signis credibilitatis est moraliter certum, Deum revelasse articulos fidei Catholice; ergo hi sunt prudenter credibiles assensu firmissimo, tanquam a Deo revelati. *Maj.* est evidens ex terminis: *Min.* etiam est evidens; quia evidens est, prædicta signa habere summam vim ad movendum quemlibet cordatum ac sapientem, adeo ut sine nota levitatis et imprudentiæ non possit formidare de veritate Religionis et dogmatis Catholici, quam vim quilibet

potest experiri in se ipso, et se expertum fatetur S. AUG. contra epistol. Fundamenti c. 4.

92. *Dico II.* Articuli fidei Catholice; etiam comparative ad alias sectas considerati, sunt simili ratione evidenter credibiles.

Prob. Nulla secta, Catholice Religioni comparata, remanet prudenter credibilis, nec tanta habet signa credibilitatis, quanta habet Religio Catholica; ut evidenter constat; ergo articuli Catholice Religionis non tantum absolute sed comparative sunt evidenter credibiles.

Pars 1ª. prob. Quia evidens est nullam sectam esse, quæ non neget aliquid Deo debitum, aut non affirmet quid Deo indignum, aut non admittat quidpiam vel turpe vel rationi sanæ repugnans; ut singulas sectas percurrenti constat: contrarium autem omnino in fide Catholica esse, non minus manifestum est; ergo.

Pars 2ª. prob. Evidens est, sectas alias vel nulla habere credibilitatis signa, vel si quæ afferantur, esse paucissima, dubia ac suspecta; cum contra pro Catholica Religione sint fere innumera et ita certa ac contestata, ut hinc RICHARD. VICTORIN. L. 1. de Trin. c. 2. recte scripserit: *Domine, si error est, a te decepti sumus. Nam ista (fidei nempe nostræ dogmata) in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quæ non nisi per te fieri potuerunt.* Unde et S. AUG. L. cont. ep. fund. 1. c. inquit: *Multa sunt, quæ in ejus (Ecclesie Catholice) gremio me justissime tenent: tenet consensus populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa fide Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum; tenet postremo ipsum Catholice nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia obtinuit sola etc.*

Conf. Motiva credibilitatis pro fide Catholica ex dictis sunt simpliciter evidentia; ergo evidenter repugnat, quamcumque religionem aliam contrariam esse æque vel magis credibilem; quia alias vel utrique simul assentiri possemus, quod implicat, cum sibi contradicant; vel contrariam præ nostra amplecti, quod veritati Antecedentis prius demonstratæ non minus apertæ repugnat.

93. *Obj. cont. 1^{um}.* Si articuli fidei essent evidenter credibiles, etiam forent evidenter possibiles; sicut si essent evidenter impossibiles, forent evidenter incredibiles: unde prior propositio concedi debet, cum bona sit illatio a contradictorio consequentis ad contradictorium antecedentis. Sed primarii saltem articuli non sunt evidenter possibiles, ut liquet in mysteriis Trinitatis, Incarnationis; ergo.

R. 1°. *N. seq. M.* Quia *possibilitas* habetur ab intrinseca non repugnantia prædicatorum, *credibilitas* vero a signis credibilitatis extrinsecis: unde licet credibilitas supponat possibilitatem, non tamen debet supponere evidentiam ejus, cum diversa motiva sint pro hac et illa.

R. 2°. *N. parit.* Cum *impossibilitas* proveniat ab intrinseca repugnantia prædicatorum, hoc ipso, si ea evidenter innotescat, non potest fieri credibilis, quantumcumque multi testes contrarii accedant; atque hinc impossibili-

litas evidens excludit positive sui credibilitatem : contra cum evidens credibilitas adveniat tantum ab extrinseco, etiam res de se impossibilis sub motivis extrinsecis proponi potest ut credibilis; atque hinc licet aliquid non sit evidenter possibile, non excludit credibilitatem, præsertim cum ipsa possibilitas rei sæpe ex motivis extrinsecis colligatur.

R. 3^o. *N.* Quod allatæ propositiones, utpote *modales*, sint contradictoriæ, cum non negetur modus; sed sunt contrariæ duntaxat, quæ licet non possint esse simul veræ, falsæ tamen esse queunt. Porro ut legitime concluderent, sic erant ponendæ: si articuli fidei essent evidenter impossibiles, non forent evidenter credibiles; ergo si evidenter credibiles, non forent evidenter impossibiles; quæ tamen argumentatio nihil nostræ sententiæ officit, cum articulos fidei nec dicamus evidenter posibles, nec evidenter impossibiles permittamus.

Inst. 1. Objectum denominatur credibile ab actu fidei, sicut intelligibile ab intellectione: sed objectum ab actu fidei, utpote obscuro, nequit denominari evidenter credibile; ergo.

R. *D. M.* Denominatur credibile ab actu fidei tantum *N.* a motivis etiam præviis ad actum fidei, et potentiam prudenter credendi constituentibus *C.* *M. et m. ac D. Cons.* Non est evidenter credibile vi actus fidei *C.* vi motivorum credibilitatis et actus prudentiæ ad fidem præambuli *N.* Evidentia credibilitatis potest afficere ipsum actum fidei, quod aliqui dicunt credibile evidenter; sed hæc a nobis non statuitur, cum actus fidei debeat esse obscurus: potest autem etiam appellare potentiam credendi, seu quod evidens sit, objectum prudenter credi posse actu fidei obscuro; et hoc communiter dicitur evidenter credibile, atque a nobis tantum asseritur.

Inst. 2. Nihil est evidenter credibile, nisi evidens sit, ipsum prudenter credi posse: sed non est evidens articulos fidei nostræ prudenter credi posse, tum quia non est evidens eos credi posse fide divina infallibili et infusa; cum alias evidens esset possibilitas fidei supernaturalis: tum quia non est evidens credi posse fide fallibili et naturali; cum in terminis implicet fide fallibili et naturali aliquid credi, quod est credibile assensu infallibili et firmissimo, qualis debet esse fides divina; ergo.

R. *N. min. Ad prob. D. 2^{am}. p.* Implicat credi fide fallibili, quod est credibile assensu infallibili et firmissimo, tam ex parte potentiæ adhaerentis veritati, quam ex parte ipsius indefectibilitatis veritatis *C.* assensu tantum firmissimo et infallibili ex parte potentiæ firmissime scilicet adhaerentis veritati *N.* Fides tum objective seu motive, quam principiatiæ divina et sic supernaturalis requirit utramque firmitatem, *adhesionis* scilicet ex conatu et voluntatis imperio profectæ, *indefectibilitatis* a vero, quæ est in actu supernaturali; objective autem tantum divina postrema infallibilitate carere potest et priorem habere. Unde utraque pars etiam transmitti potest, quin tamen probeatur intentum; quia datur adhuc medium, nempe quod articuli sint evidenter credibiles ea fide, quam homo conari et adhibere potest. Qualis autem sit hæc fides, an infusa et supernaturalis, an acquisita et naturalis, non est evidens, sed solum moraliter certum et evidenter credibile, quod sit supernaturalis; quatenus nempe hoc est unum ex articulis seu mysteriis fidei nostræ, quæ dicimus moraliter esse certa ac evidenter credibilia.

Inst. 3. Non est evidenter credibile, cui obstant argumenta magni pon-

deris: sed articulis fidei nostræ obstant talia; quia mysterio v. g. Trinitatis repugnat illud principium per se notum: *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; et Eucharistiæ illud principium physicum: *substantia panis est, ubicumque sunt panis accidentia*; ergo.

R. *D. M.* Non est evidenter credibile, cui vere ac reipsa obstant argumenta magni ponderis *C.* Cui obstant tantum apparenter *subd.* si tam absolute ac secundum se, quam comparative ad intellectum penetrantem signa credibilitatis appareant obstare *C.* si tantum secundum se et absolute considerata obstent, aut comparative ad intellectum non penetrantem appareant *N.* Jam vero principia illa allata et alia similia, *secundum se et absolute* considerata, apud intellectum signa credibilitatis non attendentem, aut assequentem, multum apparentiæ habent contra illos articulos: si vero cum signis credibilitatis conferantur, ac etiam perpendatur Deum esse infinitum ac incomprehensibilem, argumenta hæc exigui sunt ponderis nec movere possunt ad formidinem vel imprudentem de prudenti credibilitate. Cæterum quod rei veritatem attinet, *primum* principium intelligendum est de identificatis cum tertio sine *distinctione* virtuali vel alia æquivalente: et hoc modo explicatum, est quidem per se notum, sed non repugnat Trinitati: *alterum* non est evidens, quando adsunt fundamenta, quæ probant esse per miraculum victam connexionem physicam substantiæ cum accidentibus, ut ostendunt de Eucharistia signa credibilitatis.

Inst. 4. Argumenta repugnantia evidenter debent solvi, ut articuli dicantur evidenter credibiles: sed hæc ab indoctis nequidem probabiliter, a viris doctis autem saltem non evidenter solvuntur; ergo.

R. *D. M.* Argumenta debent solvi evidenter evidentia directa, seu quæ faciat mysteria ipsa evidenter esse vera et opposita evidenter falsa *N.* debent solvi evidentia reflexa, seu quæ faciat credibilitatem esse evidentem, et solutionem oppositorum esse evidenter credibilem *C.* *Primum* fieri nec potest, nec debet; quia sicut mysteria fidei non sunt evidenter vera ex dicendis, sic nec argumenta contraria sunt evidenter falsa: *secundum* autem et potest et debet fieri ob evidentiam credibilitatis; sic etiam in alia materia evidenter credibile est v. g. nunc esse legitimum principem vel superiorem, simulque evidens est obligatio illi obediendi; argumenta tamen contraria forsitan ne quidem a viris doctis solvuntur evidenter evidentia directa rei. Præterea tamen a doctis solvuntur directe solutione certa quoad *an est*, nempe certa quoad hoc, quod opposita nihil evincant contra mysterium; quamvis non semper certa quoad *quomodo est*, seu quoad modum, quo nempe opposita concilientur cum mysterio: indocti autem, licet nullam solutionem directam præstare possint, possunt tamen adhibere reflexam, evidentem evidentia credibilitatis et quoad *an est*; quia si considerent signa credibilitatis, contemnent illa argumenta ut sophistica, præsertim cum perfecte etiam non capiant eorum vim contra mysterium; quamvis non intelligant in quo fallacia consistat. *Exemplum* habes in rustico, qui propositas sibi difficultates de motu locali non quidem solvet, sed tamen contemnet, quia evidenter scit motum localem esse.

Inst. 5. Ubi occurrunt duæ evidentie oppositæ altera physica, altera moralis, evidentia physica, utpote major elidit moralem: sed evidentiam

physicam habent principia illa articulis memoratis opposita; ergo elidunt evidentiam credibilitatis duntaxat moralem.

R. D. M. Physica evidentia elidet moralem, nisi moralis persuadeat, physicam connexionem per miraculum esse victam C. si hoc persuadeat N. Equidem si v. g. mihi, testimonio fide dignissimorum, moraliter evidens sit Petrum esse auctorem homicidii, quod tamen ego ipse a Paulo factum vidi, hæc physica evidentia elidit illam moralem. At si plures fide dignissimi testentur occisum fuisse revocatum ad vitam, vel sanatum ex lethali vulnere, licet mihi physice evidens sit eum ex vulnere decessisse aut decedere debuisse, hæc physica evidentia eliditur ab illa morali, quia evidentia moralis est de eo, quod per miraculum victa sit evidentia physica. Idem accidit in casu objectionis; quia signa credibilitatis persuadent victam per miraculum esse connexionem physicam accidentium cum substantia panis. Utriusque ratio est, quia in similibus casibus illæ evidentie non sunt oppositæ: nam moralis affirmat miraculum, quod neque affirmat neque negat physica evidentia; eo quod hoc sit extra ejus spheram.

Inst. 6. Infideles et hæretici non solum mysteria fidei, sed et prudentem ipsorum credibilitatem imprudenter negant; ergo non sunt evidenter credibilia evidentiæ morali proprie tali. Conf. 1. In tantum aliquis articulus est evidenter credibilis, in quantum evidens est eum esse revelatum a Deo: sed hoc modo articulus nequit dici evidens, quia alias intellectus necessitaretur ad assensum articulo præbendum; ergo. Conf. 2. Evidentiæ moralis propria facit necessitatem simplicem: sed cum hac nequit componi libertas et obscuritas fidei; ergo nec cum evidentiæ morali.

R. N. Cons. Quia quæstio et conclusio nostra sunt de evidentiæ objectiva et fundamentali, quæ consistit in signis credibilitatis: de his dicimus quod, si attente perpendantur ab intellectu capaci, generent evidentiam propriam formalem; quæ cum non sit immediata ex terminis, sed mediata ex motivis et argumentis, eo magis considerationem requirit, imo et discursum; cum ne immediata quidem evidentiæ valeat quidpiam in eo, qui est distractus aut animum considerationi applicare non vult. Porro Gentiles et Hæretici docti voluntarie avertunt intellectum a consideratione signorum, vici nempe difficultate singula firmissime credendi et vivendi ad regulam fidei; alii etiam interius quidem vident credibilitatem, sed ob fines temporales exterius negant: pueri autem ac rudes hæretici sæpe invincibiliter illam evidentiam ignorant, eo quod de illis signis nihil audiant, aut de sua secta nullam rationem dubitandi advertant.

Ad Conf. 1^{am}. R. N. M. Non enim evidenter verus est ipse articulus, nec ipsa revelatio divina in se, nec hoc judicium evidens est, quod Deus de facto tale mysterium revelaverit; sed evidens duntaxat est quod prudenter judicari possit, Deum hoc dixisse ac revelasse, ut in Q. seq. pluribus dicetur.

Ad Conf. 2^{am}. D. m. Cum evidentiæ morali propria, quod aliquis articulus sit credibilis, seu prudenter judicari possit articulum esse revelatum, nequit componi libertas et obscuritas fidei. N. Cum evidentiæ, quod articulus sit verus et a Deo revelatus C. Primum necessitat tantum ad judicium, quo statuam evidens esse me prudenter agere in assensu mysteriis dando: eo

autem judicio non obstante potest voluntas non imperare intellectui assensum, imo quandoque imperare dissensum, quamvis imprudenter; unde liquet voluntati libertatem non adimi, sed locum relinqui piæ affectiōni.

94. Obj. cont. 2^{am}. Duæ propositiones contradictoriæ possunt simul esse æque evidenter probabiles; ergo etiam æque evidenter credibiles tanquam dictæ a Deo. Conf. Saltem metaphysice non est impossibile, quod Deus tantam apparentiam credibilitatis permittat pro religione falsa, quam dat pro vera; ergo ex hac apparentia religio nostra non est evidenter credibilis.

R. D. Cons. Poterunt simul esse æque evidenter credibiles, evidentiæ unam proponente ut prudenter præ alia credibilem, et imprudenter solum præ alia repudiabilem N. evidentiæ tali, quæ ad hoc solum valeat, ut intellectus neutri earum præ altera prudenter assentire vel dissentire possit T. Esto enim, hoc postremum fieri queat; certum tamen est quod, ad assensum fidei theologicæ prudenter imperandum, prior evidentiæ omnino necessaria sit, et de facto circa articulos nostræ fidei habeatur, cum quæ motiva eos faciunt evidenter credibiles, sic etiam persuadeant esse credendos, adeoque obligationem credendi pariant: jam vero si doctrina contraria foret æque credibilis, nulla posset esse credendi obligatio; cum motiva se mutuo eliderent, ideoque intellectus necessario hæreret suspensus.

Ad Conf. R. N. A. Quamvis enim hoc permittatur respectu cujusdam hominis particularis fieri posse; negatur tamen respectu apparentiæ absolute ac universalis, juxta illud RICHARDI A S. VICTORE num. 92. citatum.

Inst. 1. Signa credibilitatis non faciunt evidenter incredibiles omnes alias sectas; tum quia vix aliquis etiam litteratus novit, quot sint sectæ, et quæ earum notæ credibilitatis: tum quia aliqua secta forsitan a fide nostra solum discedit in puncto speculativo, et prudenter credi potest sufficere ad salutem ut in præcipuis articulis conveniamus; ergo nec faciunt evidenter credibilem religionem nostram.

R. N. A. Ad prob. 1^{am}. N. id requiri, sed satis est illas considerare sub generica ratione Gentilismi, Mahumetismi, Judaismi, quæ mediocriter doctis satis notæ sunt: quod Hæreticorum sectas diversas attinet, et horum celebriores adhuc vigentes nosse sufficit, aliæ vero vel non notæ vel jam extinctæ, hoc ipso indignæ sunt aliqua consideratione; quin nec celebriorum sectarum errores quis perspectos habere debet, sed satis est nosse motiva credibilitatis fidei Catholicæ, simulque scire æqualia non adesse sectæ oppositæ, id quod vel ex eo constat, quia sectarii talia non afferunt, allaturi certo, si possent.

Ad prob. 2^{am}. N. 1^{um}. memb. In quocumque puncto sit discrepantia, habetur error practicus; tum quia est dissensus ab Ecclesia, et Ecclesiasticæ Divinæque Auctoritatis contemptus: tum quia et speculativum dogma aliquando credendum est, cui obligationi dum non fit satis, peccatum nascitur, quod est error practicus circa illud dogma. Memb. 2^{um} falsum esse proxime ostendetur, ubi de distinctione Hæreticorum in articulos fundamentales et non fundamentales.

Inst. 2. Si articuli fidei nostræ præ aliis sectarum essent evidenter credibiliores, minor esset in illis præ his credendis difficultas; quia actus faci-

lior est censendus, ubi sunt motiva validiora ad illum impellentia: sed consequens est falsum, quia sublata difficultate credendi tollitur etiam fidei meritum; ergo.

R. N. m. *ejusque prob.* Imprimis enim ad meritum non requiri absolute difficultatem seu operis arduitatem, si libertas et cætera requisita adsint, patet in Christo, qui Deum sine difficultate amabat et hoc amore perfectissime merebatur: deinde nec ipsa credibilitatis evidentia omnem credendi difficultatem remouet; eo quod per illam non impediatur, quominus ratio naturalis plura argumenta opponat, ac præterea satis arduum sit solam credibilitatis evidentiam præferre naturalibus ejusmodi rationibus circa ipsam articuli veritatem, quæ evidenter falsæ non demonstrantur.

ARTICULUS III.

AN ARTICULI FIDEI CATHOLICÆ SINT ETIAM EVIDENTER VERI?

95. *Nota I.* Res evidenter vera tunc est, quando res vel in se ipsa ac immediate, vel in motivo infallibili ac mediate ita se habere clare cognoscitur, sicut actus enuntiat. Quia vero illud motivum, quo articulus fidei verus esse cognoscitur, est testimonium Dei loquentis, evidentia prior dicitur *rei attestata* vel revelatione divina dictæ ac confirmatæ; posterior autem vocatur evidentia *in attestante* seu de revelatione. Sed hæc iterum potest esse vel immediata vel mediata; quia ipsa revelatio *in se* potest esse evidens, qualem subinde habuisse Prophetas concedunt plures: vel potest esse evidens *in et ex signis credibilitatis*, qualem non negant dæmonibus signa hæc profundius penetrantibus, et forsitan non negandam esse viris quibusdam sapientioribus putat SUAREZ hic disp. 3. sect. 8. Porro articuli fidei Catholicæ alii versantur circa doctrinam juris naturalis, alii circa doctrinam juris supernaturalis.

96. *Nota II.* Supponi hic potest, 1º. articulos plures circa doctrinam *juris naturalis* per se ipsos et evidentia immediata esse evidenter veros; alios etiam naturali ratione posse demonstrari positive tanquam veros: 2º. e contra articulos circa doctrinam *juris supernaturalis* nec immediate ac ex terminis evidenter esse veros, nec ratione positiva demonstrari posse, ut ostenditur in Tr. de Trinit. contra Raymundum Lullum, et docet S. THOMAS p. 1. q. 32. a. 1. in 0. ubi frivolos quorundam in demonstranda Trinitate conatus retundit, eosque dupliciter fidei derogare probat: 3º. articulos fidei circa *utrumque jus* per signa credibilitatis id saltem consequi, quod sint moraliter certi, atque hinc omnem circa eos prudentem formidinem excludi, in quo moralis certitudo consistit. Quæstio itaque duntaxat versatur de evidentia veritatis articulorum *mediata* per signa credibilitatis, an scilicet ex signis credibilitatis ita evidens fiat religio Catholica et veritas articulorum fidei, ut ne quidem imprudenter quis de ea veritate formidare possit, sed absque voluntatis imperio intellectus evidentia signorum convictus rapiatur ad assensum?

97. *Dico.* Articuli fidei nostræ *communiter loquendo* non sunt evidenter

veri seu evidentes in attestante, evidentia proprie tali excludente formidinem etiam imprudentem.

Prob. Rudes et indocti nec penetrant nec considerant signa credibilitatis: quamvis vero auctoritas Parochi et Instructorum valeat plurimum apud illos, et forsitan plus quam signa credibilitatis apud doctos; hæc tamen apparentia quantacumque non est stricta evidentia; tum quia non rapit intellectum ad assensum excluditque formidinem imprudentem: tum quia hac exclusionem etiam gratis data, id non facit claritas signorum credibilitatis, sed inadvertentia rudium, et quod non occurrant motiva contraria: unde fit, ut, si alius æqualis auctoritatis proponat oppositum, rudis statim hoc credat, vel formidet de veritate ipsi antea proposita. Si vero articuli fidei essent evidenter veri et revelati, evidentia stricta et propria, viris etiam *cultioribus* et *doctis*, communiter loquendo, 1º. non foret ipsis arduum credere; 2º. nullam experientur tentationem contra fidem: 3º. difficilior illis accederet cohibere intellectum ab assensu, quam ad hunc impellere: 4º. imo ex natura evidentiae raperentur ad assensum fidei, et non requireretur imperium voluntatis ad firmiter et immobiliter credendum, nec esset libertas credendi: sed hæc omnia repugnant tum experientiae tum aliis principiis fidei; ergo.

Respondent I. Assensum fidei non esse quidem immediate liberum, quatenus, supposita evidentia signorum et veritatis articulorum, possit assentire vel dissentire; esse tamen *mediate liberum*, quatenus voluntas libere applicat intellectum ad consideranda hæc signa.

Sed contra est 1º. quia pari ratione libera posset dici scientia seu actus scientificus et evidentia, quæ ex visione oculorum habetur. 2º. quia ipse fidei assensus in se debet esse liber, ut liquet *primo*, ex Marc. 16. ubi Christus exprobrat incredulitatem eorum, qui, dum viderant Christum et audierant signa credibilitatis de ejus resurrectione, non crediderunt: *secundo*, ex Conc. Araus. II. Can. 5. ubi credulitatis affectus, quo credimus, dicitur donum Dei et gratia, quæ necessitatem non infert: *tertio*, ex Trid., quod liberam dicit fidem post auditam prædicationem et consequenter penetrata credibilitatis signa; cum Sess. 6. cap. 6. sic loquatur: *Fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum credentes vera esse, quæ divinitus revelata et promissa sunt.*

Respondent II. Fidem manere catenus liberam, quatenus voluntas per *piam affectionem* vel imperat assensum, non propter evidentiam signorum, sed propter solum testimonium Dei, ita ut voluntas parata sit credere, etsi non haberet illam evidentiam; vel quatenus, in reverentiam auctoritatis divinæ, imperat assensum firmiter, quam mereantur signa credibilitatis; cum firmitas indefectibilitatis in actu fidei supernaturalis major sit illa firmitate, quæ provenit a naturali tantum evidentia objecti sive per se sive per credibilitatis signa.

Sed contra *utramque partem* est, quod in evidentia, utpote necessitante, rapiatur intellectus, quin imperium voluntatis in hoc negotio assensus partem ullam habere possit: et si haberet locum, deberet semper elici actus duplex fidei, alter nempe necessarius prout evidentiae correspondet, alter liber quoad assensum vel præcise testimonio præstitum, vel cum majore firmitate indefectibilitatis elicium; quod quia non experimur, gratis omnino fingi convincitur.